

THOMAE CAMPIANI ELEGIARUM LIBER

- E1 v.1 Ver anni lunaeque fuit : pars verna diei ;
 2 verque erat aetatis dulce, Sybilla, tuae.
 3 Carpentem vernos niveo te pollice flores
 4 ut vidi, dixi, "Tu dea veris eris."
 5 Et vocalis "eris" blanditaque reddidit Echo ;
 6 allusit votis mimica nympha meis.
 7 Vixdum nata mihi simulat suspiria, formam
 8 quae dum specto tuam plurima cudit Amor.
 9 Si taceo, tacet illa ; tacentem spiritus urit :
 10 si loquor, offendor garrulitate deae.
 11 Veris amica Venus fetas quoque sanguine venas
 12 incendit flammis insidiosa suis.
 13 Nec minus hac immitis Amor sua spicula nostro
 14 pectore crudeli fixit acuta manu.
 15 "Heu miser," exclamo, " causa non laedor ab una ;
 16 "una," Echo resonat, "quam, rogo, diva, refers ?
 17 Anne Sibyllam ? "Illam", respondit : sentio vatem
 18 mox ego veridicam fatidicamque nimis :
 19 nam perii, et verno quae coepit tempore flamma,
 20 jam mihi non ullo frigore ponet hiems.
- E2 v.1 Cum speciosa mihi mellitaque verba dedisti,
 2 despectisque aliis primus et unus eram :
 3 mene tuos posuisse sinu refovente calores
 4 vana putas ? An sic femina nota mihi ?
 5 Errabas. Fateor, veros non sensimus ignes,
 6 nec mihi mutandus tam cito crescit amor.
 7 Nos elephantinos nutrimus pectore foetus,
 8 qui bene robusti secula multa vident,
 9 dum tua diversis varie mens rapta procellis
 10 nescit in assueto litore stare diu ;
 11 qui mihi te pactam vidit per foedera sacra,
 12 cum rediit, vidit foedera nulla dies.
 13 Ottale, successor meus, haud invisae tenere
 14 per me regna potes, non diuturna tamen.
 15 Si promissa semel constaret semper amanti,
 16 non cuperet tua nunc esse, sed esse mea.
 17 Pacta prius nostris penitus complexibus haesit,
 18 illius illecebrans gratia nota mihi est ;
 19 nota sed ante aliis, mecum quos expulit omnes,
 20 teque eadem quae nos, Ottale, damna manent.

21 Nec tibi proficiet quod sis formosus, habendi
 22 femina non semper pendet ab ore viri.
 23 Carbones aliquae, vel si quid tetrius illis,
 24 deliciis spretis, saepe vorare solent,
 25 vidi ego quae cinerem lingua glutiret avara,
 26 "Jamque in amaritie quam mihi suavis ! " ait.
 27 Multa suis mulier sentit contraria votis,
 28 prendere quae nemo prae levitate potest.
 29 Ottale, nullus eris si tu sincerus amator.
 30 Ni malus et fallax, Ottale, nullus eris.
 31 Nam quis eam teneat, cujus levis ante recurrit
 32 sidere quam firmo pectore possit amor ?

E3 v.1 Ni bene cognosses, melius me nemo meorum,
 2 Hoc condonassem nunc ego, Calve, tibi.
 3 Nec mihi dum constat satis hoc quo nomine signem ;
 4 erroremne tuum, stultitiamne vocem.
 5 Irascor veteri, quod me magis urit, amico ;
 6 nec nos vulgari foedere junxit amor.
 7 Ira loqui cogit quam vellem durius in te ;
 8 es nimis incautus ; nec tibi, Calve, sapis ;
 9 formosam qui cum dominam sine teste teneres,
 10 raro qua, fateor, pulchrior esse solet ;
 11 quaeque tuis multo tibi charior esset ocellis,
 12 pro qua vovisses forsitan, amice, mori :
 13 hanc mihi, quemque adeo nosti, tu credere bardus
 14 ut velles ? Talem siccine, crude, mihi ?
 15 Quid facerem ? Quis vel potuit minus ? Illico captus
 16 ostendo ingenium, nec bene sanus amo.
 17 Muneribus tento, cunctaque Cupidinis arte,
 18 qua non est, et scis, notior ulla mihi.
 19 Vici, et jam (testis mihi sit chorus omnis Amorum)
 20 osculor invitus, quod tua sola foret.
 21 Ista voluptatem mihi scrupulus abstulit omnem,
 22 et summe iratus tunc tibi, Calve, fui,
 23 quod tua culpa minus fidum te fecit amico ;
 24 qua nisi te purges, non cadet ira mihi.

E4 v.1 Ille miser facilis cui nemo invidit amores
 2 felle metuque nimis qui sine tutus amat ;
 3 noctes atque dies cui prona inservit amica,
 4 officiis, regno, et nomine pulsa suis.
 5 Nam quis te dominam post tot servilia dicet ?
 6 Ora quis ignavae victa stupebit iners ?
 7 Imperet, et jubeat quae se constanter amari
 8 expetit ; utcumque est, obsequium omne nocet.
 9 Qua (bene quod sperabat) amantes reppulit arte
 10 Penelope, docta scilicet usa mora,
 11 hac magis incendit, cupidosque potentius ussit ;
 12 deceptamque sua risit ab arte Deus.
 13 Nec minus ipsa dolos persensit callida, vinci
 14 fraude sua voluit, dissimulare tamen :
 15 discite, formosae, non indulgere beatis,
 16 fletibus assuescat siquis amare velit.

17 Nec tristes lacrimae, cita nec suspiria desint,
 18 audiat et dominae dicta superba tremens :
 19 sit tamen irarum modus, haud illaeta labore
 20 nox fessum reparet, pacificusque torus ;
 21 quaeque minas misero jactarunt pulchra labella
 22 mordeat, et victor pectora dura premat ;
 23 tum leviter niveis incumbens ore mamillis
 24 sanguineam exsugat dente labroque notam :
 25 sic velut acer eques per pascua laeta triumphet,
 26 femina jam partes sola ferentis agat.
 27 Sed simul orta dies perverterit otia noctis,
 28 cum veste antiquos induat illa animos :
 29 jamque assurgenti speculumque togamque ministret,
 30 praestet aquam manibus, calceolumque pedi.
 31 Postilla assideat, fessus si forte videtur ;
 32 sin minus, actutum projiciendus erit.
 33 Custos regni amor est ; dominantes servat amores
 34 saevitia, et nullo jure inhibente metus.
 35 Odi quod nimium possim, truculenta sit opto,
 36 dum mea formosa est, dummodo grata mihi.
 37 Turbato quot apes furem sectantur ab alveo,
 38 tot mihi rivales displicuisse velim.
 39 Dulce nec invitam foret eripuisse puellam
 40 e medio juvenum triste minante choro,
 41 multorumque oculis pariter votisque placentem
 42 posse per amplexus applicuisse mihi.
 43 Spartanæ nomen tantum famamque secutus
 44 primus apud Graios ausus amare Paris ;
 45 quodque vir ille palam, timide petiere Pelasgi,
 46 crimine utrique pares, unus adulter erat.
 47 Quove animo Trojae portas subiisse putatis
 48 cum rapta insignem conjugem Priamidem ?
 49 Aurato curru rex, et regina volentes
 50 accurrunt ; fratres, ecce, vehuntur equis ;
 51 et populus circum, juvenesque patresque, globantur,
 52 aemula spectatum multa puella venit.
 53 Unam omnes Helenam spectant, gratantur ovantes
 54 omnes uni Helenæ ; sed Paris ipse sibi.
 55 Illi vel fratres talem invidere, sed illi
 56 suave fuit, quod res invidiosa fuit.
 57 O felix cui per tantos nupsisse tumultus
 58 contigit, et dignum bello habuisse torum.
 59 Ut tam pulchra meis cadant quoque praemia coeptis,
 60 optarem pugnæ et tua fata, Paris.

E5 v.1 Prima suis, Fanni, formosis profuit aetas,
 2 solaque de facie rustica pugna fuit ;
 3 donec vis formæ succrevit, viribus aurum,
 4 quo sine nunc vires, et bona forma jacet.
 5 Ergo sapis triplici nummos qui congeris arca :
 6 semper quod dones, quodque supersit habes.
 7 Ultro te juvenes, ultro petiere puellæ,
 8 rivales de te diraque bella movent.
 9 At non arenti color est tibi laetior arvo,
 10 labra sed incultis asperiora rubis.
 11 Vel nulli, vel sunt atri rubigine dentes,

12 jamque anima ipsa Stygem et busta senilis olet.
 13 Forsitan ingenium quod amabile ducis amantes ;
 14 hei mihi, quod nimium est haec quoque causa levis !
 15 Sit tamen ampla satis per se ; tibi nulla fuisset,
 16 qui nihilo plus quam magna crumena sapis.
 17 Ceu lepidus coleris tamen et formosus, Adoni,
 18 nec fugit amplexus lauta puella tuos.
 19 Nonnullae accedunt quas tu, furiose, repellis ;
 20 pulsisque, ut par est, lacrima crebra cadit.
 21 O felix, si non odiosa podagra gravaret,
 22 nervus et effetus, membraque inepta senis,
 23 si non ingratae Veneris funesta puellae
 24 supplicia afflictus pesque manusque daret !
 25 Te tamen haud ulli possunt arcere dolores
 26 cum petit amplexus femina cara tuos.
 27 Plurima possit amor ; verum si olfecerit aurum
 28 mulcebit barbam Mellia nostra tuam.

E6 v.1 Caspia, tot poenas meruit patientia nostra ?
 2 Culpa erat insistens primo in amore fides ?
 3 Mene fugis quod jussa feram ? Quod fortis amator
 4 non succumbo malis quae dare multa potes ?
 5 Troile, non illud nocuit tibi, Cressis acerbas
 6 eripuit tandem commiserata moras,
 7 non illud solis in terris questa puella est
 8 dum rapit infidum mobilis aura virum,
 9 saepe alios levitas, sed nos constantia laedit,
 10 supplicium pietas et benefacta timent.
 11 Forsan erit miserorum aliquis gravis ultor amantum,
 12 cui longa poenas pro feritate dabis.
 13 Ah ! memini ignoto languentia membra dolore,
 14 et speciem ereptam pene fuisse tibi ;
 15 more meo lacrimans aderam, fidusque minister,
 16 tum mihi facta malis lenior ipsa tuis ;
 17 protinus insensum tibi supplex invoco numen,
 18 et subita ex votis est revocata salus.
 19 Tanti erit in nostro semel ingemuisse furore,
 20 tanta erat in propriis pax aliena malis.
 21 Quid precibus valeam tua pectora ferrea norunt,
 22 et nossent melius, sed mea fata vetant.
 23 Multa tamen cupiam pro te discrimina inire,
 24 multa jube, dulcis nam labor omnis erit.
 25 Dulcis erit, sed erit labor ; heu miserere laboris ;
 26 noster ab hac nimium parte laborat amor.
 27 Saevitiam natura feris, sed moribus apta
 28 corpora, et arma manu, fronte, vel ore dedit ;
 29 humana includi formoso pectore corda
 30 jussit, in hac specie quaeritur unus amor.
 31 Quo speciosa magis tanto tu mitior esses :
 32 me miserum ! Tanto saevior ira tua est.
 33 Ingentesque animos assumis conscia formae,
 34 virtutes novit femina quaeque suas.
 35 Si lubet accedat reliquis clementia, palmam
 36 ut sine rivali me tribuente feras.
 37 Dotibus ingenii superas et corporis omnes,
 38 hoc uno vinci nomine turpe puta.

E7 v.1 Tene ego desererem ? Mater velut anxia natum,
 2 unanimem aut fratrem prodere chara soror ?
 3 Delerem ex animo tam suaves immemor horas ?
 4 Delicias, lusus, basia docta, jocos ?
 5 Desine jam teneros fletu corrumpere ocellos ;
 6 ante calor flammis excidet, unda mari,
 7 et prius a domina discendent sidera luna,
 8 quam te destituat, me violante, fides.
 9 Ista manus nobis aequalia foedera sanxit,
 10 quam tu nunc lacrimis suspiciosa lavas.
 11 Semper habes aliquid querelo sub corde timoris,
 12 femineo multi sunt in amore metus.
 13 Saepe mihi Thesei memoras fugientia vela,
 14 utque erat indigno Dido cremata rogo.
 15 Neglectis quaecumque solent miserisque nocere,
 16 haec tua sed nondum pectora laesa dolent.
 17 Quid feci ? Mea tu, cum non sint, crimina ploras ;
 18 hocne fides ? Mores hoc meruere mei ?
 19 Forte licet miseras fiducia fallat amantes,
 20 plus illa insanus possit obesse metus.
 21 Lugubri exemplo Cephali sat fabula nota est,
 22 ne nimium ex Procri sit tibi, nostra, cave.

E8 v.1 Parce, puer Veneris, parce, imperiose Cupido,
 2 jam nimis intentas vertis in ora faces :
 3 ah pudet, abjectus cecidi, miserere jacentis ;
 4 quem modo laesisti, nunc tueare, timor.
 5 "Rusticus ille prior fuit, ingratusque puellae,
 6 hic tamen ingenue signa fatentis habet."
 7 Vixdum prima diem reserarant lumina solis,
 8 cum in thalamum veni, pulchra Sibylla, tuum.
 9 Horrida rura virum, sed non metuenda, tenebant ;
 10 tutum rivali fecit in urbe locum.
 11 Ipsa etiam speciosa toro sed sola recumbens
 12 adventum primo visa probare meum.
 13 Dissimulans sic fata : "Quid hoc ? absente marito
 14 ad nuptae juvenem stare cubile decet."
 15 Ast ego, virgineum diffundens ore ruborem,
 16 respondi blandus quae mihi jussit Amor.
 17 Longa dehinc variis teritur sermonibus hora
 18 dum votis obstat sola ministra meis :
 19 optabam tacitus, licet haud inamabilis esset,
 20 membra feris miserae diripienda dari.
 21 Discedant famulae, quoties locus aptus amori,
 22 nec domina sistant vel revocante gradus ;
 23 adversatur herae si quae crudelis amanti est,
 24 invidiamque sibi diraque bella parit.
 25 Jamne vacat monstrare aliis praecepta pudoris
 26 cum reus indictae rusticitatis agar ?
 27 Forte ministra moras, sed quas abitura, trahebat,
 28 mansit et illa diu ut posset abesse diu.
 29 Sed nec eat prorsus, justa illam causa morata est,
 30 quae discedenti tum mihi nulla foret.
 31 Verbis affari, nudos spectare lacertos,
 32 caetera ne liceant, haec quoque pondus habent.

33 Dum velut iratae cupio non esse molestus,
 34 in me odia incendi credulitate mea.
 35 Tu tamen hanc veniam vati concede, Cupido,
 36 perque tuas juro, flammea tela, faces
 37 nulla leves posthac conatus verba repellent ;
 38 cassibus exhibit femina nulla meis.
 39 Candida seu nigra est, mollis seu dura, pudica
 40 sive levis, juvenis sive adeo illa senex ;
 41 qualiscumque datur, modo sit formosa, rogare
 42 non metuam, et longa sollicitare prece.
 43 Quae nolit, poterit satis illa negare petenti ;
 44 quae velit, illa tamen saepe petita, velit.
 45 Nolit, sive velit, semper repetenda puella est ;
 46 hoc ferri grate munus utrique solet.
 47 Si perversa, tamen formam placuisse juvabit ;
 48 si cupida, optato convenit apta viro.
 49 Annuit, et vultu probat haec ridente Cupido,
 50 jamque nova incedo mactus amator ope ;
 51 indico tamen hoc vobis, mala turba, puellae,
 52 cum peto vos, culpam ne memorate meam.

E9 v.1 Ergo meam ducet ? deducet ab urbe puellam
 2 cui rutilo sordent ora perusta cane ?
 3 Mellea jamne meo valedicere possit amori,
 4 urbeque posthabita vilia rura colet ?
 5 Anne fides, sensusque simul periere ? Sequetur
 6 post tot formosos illa senile jugum ?
 7 "Pauperis uxor sim potius quam regis amica, "
 8 sic ais ; ah stulte relligiosa sapis !
 9 Verum habeas ; quid enim tibi, perfida, tristius optem
 10 quam tali dignam concubuisse viro ?
 11 Utrique et similes parias ; patris exprimat ora
 12 progenies ; mores ingeniumque tuum.
 13 Vitam igitur nobis pingui de rure maritus
 14 eripiet, miserae perfugiumque animae ?
 15 Tam tristes taedas peterit nox ulla videre ?
 16 Endymioneis raptave Luna genis ?
 17 Igneus horrentes inducat turbo procellas,
 18 et rapiat flores aura profana sacros ;
 19 Tartareique canes diros ululent Hymenaeos,
 20 praedicat lites scissaque flamma facum.
 21 Strataque cum lecti genialis sponsa recludit
 22 per totum videat serpere monstra torum.
 23 Vos parvique Lares, nocturni et ridiculi dii,
 24 terrea Pygmaeo gens oriunda Obera,
 25 raso qui capitis, cillii, mentique capillo
 26 luditis indignos, turba jocosa, viros :
 27 raptaque per somnum viditis qui corpora, et altis
 28 fossis aut undo ponitis illa lacu :
 29 confluite huc, vestro nimium res digna cachinno est.
 30 Eia agite, o lepidi, protinus ite, Lares,
 31 pulchramque informi positam cum conjuge sponsam
 32 eripite, haud ullo conspiciente dolos ;
 33 amplexumque meos cum se sperabit amores,
 34 stramineam pupam bracchia dura ferant,
 35 aut tritum teneat carioso pene Priapum,
 36 praeclare ut miseram rideat omnis ager ;

37 fabula nec toto crebrescat notior orbe,
 38 huic cedant claudi probra venusta dei ;
 39 ipseque nescierim, quamvis dolor intus et ira
 40 aestuet, in risus solvar an in lacrimas.

E10 v.1 Illa mihi merito nox est infausta notanda,
 2 quam votum veneri spreuit amica torum.
 3 Sic promissa fides ? Reditum sic ausa pacisci
 4 improba deque meo vix revocanda sinu ?
 5 Credideram, persuasit Amor, suasere tenenti
 6 quae mihi discedens oscula longa dedit.
 7 Ergo vigil, tacitusque tori de parte cubavi,
 8 esset ut infidae foedifragaeque locus.
 9 Adjeci porro plumas et lintea struxi,
 10 mollius ut tenerum poneret illa latus :
 11 nulla venit, quamvis visa est mihi saepe venire ;
 12 quae cupidos oculos falleret umbra fuit.
 13 Audito quoties dicebam murmure laetus
 14 "Jam venit ! " extendo brachia, nulla venit.
 15 Me strepitu latebrosa attentum bestia lusit,
 16 spemque avido ventis mota fenestra dedit.
 17 Sic desiderio tandem languere medulla
 18 coepit, inassuetis ignibus hausta fuit.
 19 Jamque erat ut cuperem gelida de rupe, Prometheu,
 20 expectare tuas, vulnere crudus, aves.
 21 At quanto levior jam tum mihi poena fuisset
 22 captasse impasti ludicra poma senis.
 23 Ecquis erit miser ? Inveniat quam possit amare,
 24 quam cupide indicta nocte manere velit.
 25 Me videat quisquis sponsae perjuriam nescit ;
 26 En lacrimis oculi lividaque ora tument,
 27 insomnique horrent artus, dum forsitan illa
 28 immemor, et dulci victa sopore, jacet.
 29 Nec metuit promissa ; fidem nam perdidit et me ;
 30 nec timuit, quorum est numine abusa, deos.
 31 Conventum in silvis statuit Babylonia Thisbe
 32 cum juvene ardenti, sed prior ipsa venit :
 33 cumque viro periit, qui si potuisset abesse,
 34 haud scio nox miserae tristior ultra foret.
 35 Non iter in silvas, nec erat tibi cura cavendi
 36 custodes, potuit tota patere domus,
 37 si velles saltem, si non perjura fuisses,
 38 basia si veri signa caloribus erant.
 39 Nam quid detinuit ? Famulis pax una : quid ergo ?
 40 Sex septemve gradus ? Janua aperta ? Torus,
 41 et qui te misere remoratus quaerat in illo ?
 42 Haecine tam fuerat triste subire tibi ?
 43 Quam vellem causam vel inanem fingere posses,
 44 invito ut faceres ista coacta metu :
 45 sed nihil occurrit, res est indigna, nefasque ;
 46 impia, fecisti dirum in amore scelus,
 47 quod nullis poterit precibus lacrimisve piari,
 48 ni mihi sex noctes sacrificare velis.

E11 v.1 Qui sapit ignotas timeat spectare puellas ;
 2 hinc juvenum atque senum maxima turba petit.

3 Incautos novitate rapit non optuma forma,
 4 quemque semel prendit non cito solvit Amor.
 5 Quod pulchrum varium est ; species non una probatur,
 6 nec tabulis eadem conspicienda Venus.
 7 Sive lepos oculis, in vultu seu rosa fulget,
 8 compositis membris si decor aptus inest,
 9 gratia sive pedes, leviter seu brachia motat,
 10 undique spectanti retia tendit Amor.
 11 Distineat juvenem neque pompa, nec aurea vestis,
 12 nec picti currus, marmoreaeve fores :
 13 raro urbem solus provecta nocte pererret,
 14 nox tenebris fieri multa proterva sinit ;
 15 siqua die placita est, noctu pulcherrima fiet :
 16 adde merum, Phaedram possit amare gener.
 17 Haec ego : cum contra est telis facibusque minatus,
 18 ni sileam, triplex pectore vulnus Amor.

E12 v.1 Qui gerit auspiciis res et, nisi consulat exta,
 2 nil agit, hic subitos nescit abire dies.
 3 Suspiciosa mora est, fortuna irridet inertes,
 4 omnia praecipiti dans redimensque manu.
 5 Dum Menelaus abest, Helenen Priameius urget,
 6 urgentique aderant numina Fors et Amor.
 7 Herus aequae omnis volvere cubilia, solus
 8 Leander Cypria sed duce victor amat.
 9 Solus concreditur dubia sub luce puellam
 10 defessam sacris ante ministeriis.
 11 Saepe opportune cadit importuna voluntas,
 12 insperataque sors ad cita vota venit.
 13 Parva sed immemoris sponsi cunctatio Thisben
 14 seque per umbrosum praecipitavit iter.
 15 Una dies aufert quod secula nulla resolvent,
 16 secula quod dederint nulla, dat una dies.
 17 Mane rosas si non decerpis, vespere lapsas
 18 aspicias spinis succubuisse suis.
 19 Dum juvat, et fas est, praesentibus utere ; totum
 20 incertum est quod erit ; quid fuit, invalidum.

AD EDOARDUM MYCHELBURNUM DE OBITU SORORIS

E13 v.1 Ergone perpetuos dabit umbra sororia fletus ?
 2 Inque fugam molles ossea forma deas ?
 3 Sic, Edoarde, situ ferali horrenda Thalia
 4 antiquosque sales deliciasque abiget ?
 5 Carmina nequaquam tangunt funebria manes.
 6 Impetrabilior saxa ad acuta canas.
 7 Parce piam cruciare animam ; si chara sorori
 8 extinctae superest, ne sit iniqua tibi.
 9 Aspice, distortis elegeia lassa capillis
 10 procubuit, lachrimis arida facta suis ;
 11 ecce, premit, frustraue oculos exsolvit inanes :
 12 prodiga quod sparsim fudit, egena sitit.
 13 Sic projecta graves Istri glacialis ad undas
 14 dicitur emeritum deposuisse caput.
 15 Sic exhausta sacri vatis lugubre canendo

16 exilium, et tardos ad meliora deos.
 17 Jam satis est, Edoarde, tui miserere, deaeque ;
 18 fessa dea est nimium sollicitata diu.
 19 Assueti redeant animi, solatia, lusus ;
 20 exuat atratam vestra Thalia togam.
 21 Nec te detineat formae pereuntis imago ;
 22 ad manes abiit non reditura soror.
 23 Neve recorderis quae verba novissima dixit ;
 24 praesidio illa minus proficiente juvant.
 25 Verba dolorem acuunt, solvunt oblivia curas,
 26 immemores animos cura dolorque fugit.
 27 Sed tua si pietas monitis parere recusat,
 28 aegraque mens constans in feritate sua est,
 29 nulla sit in terris regio, non ora, nec aetas
 30 inscia ploratus, insatiate, tui.
 31 Non Hyades tantum celebrent fulgentia caelo
 32 sidera, fraternus quas reparavit amor,
 33 quantum fama tuas lacrimas, obitusque sororis ;
 34 O bene defleto funere digna soror !
 35 Et, tibi, si placet hoc, indulge, Edoarde, dolori ;
 36 singultuque gravem pectore pasce animum.
 37 Tristitiam levat ipsa dies ; gaudebit et ultro
 38 ascitis tandem mens vegetare jocis.

E14 v.1 Ite procul tetrici, moneo, procul ite severi,
 2 ludit censuras pagina nostra graves.
 3 Ite senes, nisi forte aliquis torpente medulla
 4 carminibus flammas credit inesse meis.
 5 Aptior ad teneros lusus florentior aetas ;
 6 vel juvenis, vel me docta puella legat.
 7 Et vatem celebrant Bruti de nomine primum
 8 qui molles elegos et sua furta canat.
 9 Probro nec semper fax sit tua, Phoebe, remota
 10 fervet ab innato flamma calore magis.
 11 Nobis egeidas Neptunus molliit auras
 12 qui fovet amplexu litora lata suo.
 13 Et nos Phoebus amat, quantumque hieme abdicat, ardens
 14 tanto plus facili conspicit ore pater.
 15 Quid sacras memorem nymphis habitantibus undas,
 16 sive tuas, Thamesis, sive, Sabrina, tuas ?
 17 Mille etiam Charites silvae, totidemque Napaeae,
 18 tot Veneres, tot eunt indigenaeque deae.
 19 Ut taceam Musas, toto quas orbe silentes
 20 Chaucerus mira fecerat arte loqui.
 21 Ille Palaemonios varie depinxit amores,
 22 infidamque viro Cressida Dardanio.
 23 Prodigiosa illo dictante canebat arator
 24 ludicra, decertans cum molitore faber.
 25 Sic peregrinantum ritus perstringit aniles,
 26 rivalemque dei devovet usque papam.
 27 Quis deus, o vates magnis erepte tenebris,
 28 admovit capiti lumina tanta tuo ?
 29 Fabula nec vulgi, nec te Romana fefellit
 30 pompa, nec Ausonii picta theatra lupi.
 31 Imperio titubante novos sibi finxit honores
 32 queis mundi dominos callida Roma tenet.

33 Juris sola sui gentes procul Anglia ridet
 34 tendentes Latio libera colla jugo.
 35 Sacra libertate dea regnante potimur,
 36 quae dare jam nobis otia sola potest.
 37 Omnia nunc pacem, montesque urbesque fatentur,
 38 cum Venere et nudo qui pede saltat Amor.
 39 Pacis amans deus est, quamvis fera bella Cupido
 40 corde gerens nostro semper ad arma vocat.
 41 Alme puer, teneris adsit tua gratia musis,
 42 Oaces sive deae, seu tua bella canunt.

DE MELLEAE LUSUS

E15 v.1 Pulchra roseta inter mea Mellea pulchrior illis
 2 dum legit umbroso mollia fraga solo,
 3 venit Amor, qui jam pharetra positisque sagittis
 4 gestitat ignivomo ferra forata cavo.
 5 Pulvis agit sine voce pilas ubi concipit ignem,
 6 et nivis in tacito pulvere candor inest.
 7 Audax o nimium puer ! O versute Cupido !
 8 Tunc ferebaris caecus ? At ipse vides,
 9 argutoque minax intendis acumine ferrum.
 10 Intueor, licet hac fronde latere velis.
 11 Erubuit deprensus Amor, risuque fugavit
 12 mollitiem, et dixit : "Tu mihi miles eris.
 13 Si confirmandus de more poposceris aurum,
 14 aurea virgo tibi haec oscula quinque dabit.
 15 Post illa ut nostris possit succedere castris,
 16 aurea jam de te basia quinque feret."
 17 "Immo etiam de me centum, vel millia centum,
 18 et placeas mage si prodigus esse velis."
 19 Dixi, aufugit Amor, pictasque reverberat alas,
 20 nos veriti numen mutua labra damus.
 21 Gessimus acre dehinc ductore Cupidine bellum,
 22 et reparat nova nos in nova bella dies.

CASPIA POTITUS LAETATUR

E16 v.1 Quos cupiam laetus ? Quos alloquar ? Anne deorum
 2 formosorum aliquem noster adibit amor ?
 3 Tutius an manes tacitasque exoscitet umbras ?
 4 Sors erit invidiae facta beata nimis.
 5 Tum neque Shora suos audebit prodere lusus,
 6 errore implexos nec Rosimunda lares.
 7 Nocte immortalem me Caspia reddidit una,
 8 tanta exstirpabit gaudia nulla dies.
 9 Quas ego, quam cupide vidi tetigique papillas !
 10 Quam formosa inter brachia molle latus !
 11 Qualia inhaerenti spiravit basia labro !
 12 Qualia... sed castis non referenda viris !
 13 Delicias tantas miratus et ipse Cupido est,
 14 quasque dedit nobis optat habere vices.
 15 Injectis igitur miser asservare lacertis

16 cogor, pectoribusque insinuare meis.
 17 Sed miserum juvat esse diu, sed saepius illo
 18 rivalem cupiam posse timere loco.
 19 Quae mihi per longos venit exorata labores,
 20 non nisi per magnos est retinenda metus.
 21 Nox est, si moriar, satis haec mihi sola beato ;
 22 si vivo, non sunt millia mille satis.

AD AMICOS CUM AEGROTARET

E17 v.1 Aeger eram, non uva meos lenire dolores,
 2 nec condita modis mille operosa Ceres,
 3 non dulces potuere joci, comitumve lepores ;
 4 ex angore animi mens hebetata fuit.
 5 Deciderat manibus lyra, nec suspiria crebris
 6 exitibus numeros sustinere suos.
 7 Horrebam procul obscurae confinia noctis,
 8 nec lassos artus mollia fulcra juvant.
 9 Illaetos querimur tarde proserpere soles,
 10 Noxque die gravior fit mihi, nocte dies.
 11 Excutiunt placidos insomnia dira sopores,
 12 somnia non ullam post habitura fidem.
 13 In me saepe ruunt armatis agmina turmis,
 14 sulphureisque boant aenea monstra cavis.
 15 Hispidus hinc serpens inter deserta relicto
 16 fit mihi, vel frendens obuius ore leo.
 17 Et quae nulla aetas tulerit portenta videmus,
 18 excurrit vario flexilis orbe timor.
 19 Jam jam lapsuras capiti impendere ruinas
 20 suspicor, aut tremulo sub pede sidit humus.
 21 Jam mare, jam ventos metuo, saxa aspera terrent,
 22 antennas video fractaque transtra ratis.
 23 Amissos etiam comites in littore flemus,
 24 et cadit ex oculis lacrima vera meis.
 25 Te modo spectabam tumidas, Hatecliffe, per undas
 26 aegre versantem brachia fessa salo.
 27 Jamque tuos, Stanforde, tuos, Thurbarne, volutos
 28 exanimes artus per vada summa lego.
 29 Collectos manibus maerens amplector, et omnis
 30 flebilibus resonat quaestibus ora meis.
 31 Si mihi displiceant somni mirabile non est,
 32 quos misere afflictos tam ferus horror habet.
 33 Nec minus illepide nocturnis territa visis
 34 mens vigilans toto somniat illa die.
 35 Sed vos o cari multum valeatis amici,
 36 differor externis dum miser ipse locis.
 37 Invidiosa via est quae nos disjungit amantes,
 38 nec sociis socio jam licet esse mihi.
 39 Verum vos video absentes et somnio, somnis
 40 anxia turba meis non onerosa tamen.
 41 Vestra vel in somnis lacrimavi funera, flentes
 42 vos quoque si moriar tymbon adite meum.

E18 v.1 Postquam Vulcanus Veneris nudaret amores

2 fertur frons tenerae diriguisse deae ;
3 fracto dedidicit stupra occultare pudore,
4 jamque odit fabricas conditor ipse suas.
5 "Ah Venus," exclamat, " spumosa fusior unda
6 quae non nuptibiles undique miscet aqua :
7 nos conjunxit Hymen, nos festa corona deorum,
8 nos Charites, tua nos non violanda fides.
9 Cur non alternos simul exercemus amores ?
10 Hostibus externis cur mea regna patent ?
11 Sanguineam ex acie referens Mars horridus hastam
12 ibit in amplexus, o Cytherea, tuos ?
13 Proditione illam victor possederit arcem
14 quam mihi conubii jure remisit Hymen ?
15 Dispeream si non pereat male perditus ille
16 qui jacit in nostras nubila nigra faces."
17 Protinus induitur monachorum more cucullum,
18 et cadit a fusco vertice rasa coma.
19 Candorem vultu simulat germanaque claustra
20 ingreditur simplex, quam minimeque malus.
21 Insidias intus struit, inconcessa recludens
22 arcana, Aetnaeo sacraque operta cavo.
23 Fulmina siderei Jovis arma micantia, et altos
24 quod superos tonitru Tartaraque ima quatit,
25 amens committit miseris mortalibus, amens
26 sulphureoque ardens igne odioque deus.
27 "Et quid Thracis," ait, "clipeusve vel hasta juvabit
28 inter fulminei concita tela Jovis ? "
29 Ecce Neapolitas Galli obsidione recingunt
30 arces, haec Marti suaserit arma Venus,
31 quos mollis comitatur Amor ; sed ut inclita cernunt
32 fulmina, et aeratos igne volare globos,
33 stragibus hinc atque hinc diris, foedoque cruore
34 intrepidus totos sparsit adulter agros.
35 Insidias risit dea conjugis, atque superbum
36 candido amatorem suscipit apta sinu.
37 Infremuit Lemni pater, eque voragine fumos
38 colligit Aetnaea Tartareaque Styge.
39 Hos consopitis aspergat, fata vetabant
40 tangere felices spurca venena deos.
41 Aere sed laeso feriunt contagia Gallos,
42 atque Neapolita coepit in urbe lues,
43 quam vitare satis poterat nec femina, nec vir,
44 dum redit in seriem transitione malum.
45 Debuerat saltem formosis parcere, at illis
46 et color et vires interiere simul.
47 Respexit tandem Venus, et miserata puellas
48 corticibus sacris nigra venena fugat.
49 Restauratque toris vires, membrisque colorem,
50 lacteolumque genis purpureumque decus.
51 Ergo ubi nec cecidisse dolos, nec viribus aequum
52 vidit se Marti qui paret arma faber
53 obticet, indulgens Veneri et rivalis amori,
54 si decuma obtingant nox sibi, laetus habet.